ABREDONIA
ATRATA,

Sub obitum

Sereniſsimi & Potentiſsimi Monarchæ,
IACOBI VI. PACIFICI,
Britanniæ Magnæ, Galliæ, & Hiberniæ
REGIS FORTVNATISSIMI,
FIDEI DEFENSORIS & ASSERTORIS *DOCTISSIMI.*

——— diciq́ue beatus
Ante obitum nemo ſupremaq́ue funera debet.

ABREDONIÆ,
Excudebat Edvardus Rabanus,
Anno Domini 1625.

Ad Ampliſsimos Curiæ Abredonenſis Primates.

NOs Leſſu *HENRICI* qui funera flevimus olim,
Ire iterum in lachrymas mors jubet ecce *PATRIS*.
Nec modo mors jubet hoc nunquam matura, ſed illa
Vitæ etiam atque animi pignora mille pii.
Quæ *BON-ACORD* alias ſupra urbes ſola ſubinde
Inſigni experta eſt eximioque gradu.
Hæc Vos, O Proceres, Equitum comitante caterva
Vſque adeo memori mente fovere juvat,
Vt cum alii juſto doleant, vos perpete luctu,
Ni *PATREM* in *NATO* cernere fata darent.

V. A. Addictiſsimus

D. WEDDERBVRNVS.

ABREDONIA ATRATA.

VOS Buchananæi manes quibus enthea quondam
Vis dedit ingenii divino carmine totum
Natales *IACOBE* tuos celebrare per orbem.
Voſque, O Bartaſides, Gallorum gloria, Muſæ,
Queis tanti hoſpitio nomen memorabile *REGIS*,
Confluite huc; non ut lœtas per amœna vireta
Voces Elyſiæ referant ad ſydera valles;
Non. Verum ut veſtro jam verba noviſſima Regi
Cum gemitu & lachrymis & fœmineo ululatu
Nœnia cæa canat, miſeris ſuffuſa querelis.
Nempe obiit *REX PACIFICVS*, *REX* optimus ille heu!
Ille animi *REX* uſque ſui, cui gloria ſceptrum
Omnigena ætherеas ſuperûm ſubvexit ad auras.
Quicquid enim Ingenium, quicquid Prudentia, Virtus
Quicquid ab innumeris toties tentata periclis,
Europæ quicquid, Libyæque, Aſiæque, remoti
Quicquid & applauſus Gangis, quà littore Phœbus
Surgit ab Eoo, quicquid Bona Copia cornu
Conferre huc valuit, congeſtum ſcilicet omne id,
Ne *REX* ſit quo ſe plus noſtra hæc ſæcula jactent.
Quid verò noſtra hæc memoravi? tempora Regum
Pectore ſi memori primo repetamus ab ævo,
Huic dubitem an primo par vixerit ullus ab ævo.
Nam quid Alexander? quid Cæſar? fulmina belli
Ex imo evibrata erebo, generiſque ruinæ

Humani, atque animæ Pandoræ è pixide miſſæ.
Quæ rabie tranſverſæ actæ, exundante cruoris
Flumine, ventoſæ redimebant murmura famæ.
Vnde omnes ſcelerum facies, cuneíque malorum
Invaſere orbem & naturæ evertere leges
Ipſa repentino properarunt turbine Fata.
Aſt Huic amplexu à pacis nomenque decuſque.
Nam cum præcipitem raperet non ambitus illum,
Finibus his ſeſe incluſit, quos SCOTIA ſtirpi
Ferguſiæ poſuit, tot jam volventibus annis.
Interea ſtudiis & amore niteſcere pacis
Illi laudis apex ſolidæ, vitæque ſerenæ.
Quales Saturno quondam regnante tenore
Crediderim ſtabili natos melioribus annis
Exegiſſe dies homines, ſicque aurea ſæcla
Primitias novitate ſuas ſparſiſſe perenni.
Ergo jure illi proavito à ſtemmate miſſo
Debita regna licet, quæcunque BRITANNIA vaſto
Oceani concluſa ſinu diffundit ab auſtro
Littus ad arctoum & quàcunque affulget Iernæ
Sol prius, Heſperiis quam mergitur æquoris undis;
Non tamen hoſtili graſſatus more quietas
Solicitare armis gentes, facibuſque parabat.
Sed ſortis memor uſque ſuæ, ſe pace tegebat,
Spemque ſibi haud dubiam firmabat pectore certo.
Nec fruſtra. Ad ſedes ſimulac ſeceſſit ELISA
Indigetum, Proceres omnes quos ANGLIA ſpectat
Hunc unum DOMINVMque ſuum REGEMque ſalutant.
Atque ita non ferro, non flammâ parta tot uni
Regna illi, ſed amore ipſo, & munimine juris.
Quod ſi virtuti deceat ſubmittere faſces,
Et jus imperii meritum eſt, Hic maximus ille,
Hic PRINCEPS unus tanto moderamine dignus.
Non ego preſſurus vatum veſtigia, fictas
Aſſignabo illi laudes, quas conſcia veri
Fama redarguerit, nullo fucata colore.
Vera fide præeunte canam, quæ ſæcula firment
Noſtra, licet ſeris miranda nepotibus olim.
Nec proavos memorabo illos, quos SCOTIA fovit
Per bis mille annos, quos ANGLIA protulit, aut quos

Gallia Guiſiadûm claro de ſanguine fudit.
Nota ea prætereo, quamvis ea maxima, tellus
Illi quòd nullum regali è ſtemmate cretum
Nobilitate parem dederit. Quin mille pericla
Haud memoro, quæ luſtra illi duodena crearunt,
Et quibus ille, heu, terrâ jactatus & alto.
Fata regunt ſortem hanc, Fata hìc dominantur & aſtra,
Tuque O qui Fatis hominum dominaris & aſtris.
Iuſtitiæ potius miror, quæ floruit illo
Principe. Nam priſcos SCOTOS ſpectemus, & illas
Hebridas occiduo diffuſas undique ponto,
Et crebris Boream verſus freta conſita terris.
Quæ lanienæ illic DEVS O! quæ monſtra ferarum!
Quæ portenta hominum ſolo viventia rapto!
Quas ſtruit inſidias capitali fraude parenti
Filius, & fratri frater, conjuxque marito!
Quæque à SCOTORVM diſpeſcunt finibus ANGLOS
Quod tandem horrendum facinus non polluit oras!
Hæc loca pacavit libramine juris amico
Hic noſter PRINCEPS, adeo ut Minoa putares
Hic ſolium fixiſſe ſuum, & Cortynia ſceptra.
Non latro nocturnus obambulat, impius intus
Sæva ſedet ſuper arma furor, vinctuſque catenis
Tradere ſe pacis ſub leges cogitur æquas.
Atque ita confecit, quod non potuere priores
Marte vel arte unquam Reges, PRVDENTIA TANTI.
Quâ Salomon veluti cœli dum miſſus ab axe
Enituit, radioſque orbem dimiſit in omnem,
Mentem illi excultam ſtudiis ſolertia ad omnes
Fortunæ regnique vices ſine crimine finxit.
Iudicio aſſueto mœandris ludere, (in arctum
Dum gyrum ratione ageret molimina magni
Pectoris) intuituque obliquo ſtringere metam.
Hoc Tagus expertus, miratus Sequana & Iſter
Turbidus & pater ipſe cavo Tyberinus ab antro.
Romuleamque lupam vicit LEO vulpis amictu.
Nec tamen ingenitus defecit candor, & uſque
Splendorem comitata fides, quam quiſque ſatelles
Matris, ab ortu ipſo & nutricis ab ubere ſenſit.
Cum lacte hæc hauſit pietatis ſemina puræ.

Quæ coleret fido ſocialia pectore jura;
Sive domi ſancto conſtrictus pignore voti
Fœdera, ſive alibi externis percuſſit in oris.
Majeſtas, fidei murus, non bella ciebat,
Vlla à vicinis aut excita bella gerebat.
Relligio (O mores!) diræ pia cauſa per orbem
Impietatis, onus vixdum tolerabile Gallis
Impoſuit, ſubitoque tot vrbes turbine perflans
Funeſtum oſtendit miſeris mortalibus ævum.
Hos animorum itidem motus Germania triſti eſt
Exitio jam paſſa diu; neque ſanguinis ipſa
Vincula, nec patriæ lachrymæ, aut commercia linguæ
Invenere aditum paci, portumve ſaluti.
Viſtulaque ingemuit ſub iniquo hoc pondere, & alto
In maris Eridanus qui vortice volvitur vndas.
At REX PACIFICVS tranquillo pectore tantos
Dum videt & ridet vulgi procerumque tumultus,
Oblectat virtute ſuâ ſe, & pacis amore
Conſilio placidum nil non molitur amico.
Interea haud ſomno curiſve emarcuit ægris,
Indulſitve epulis: melius majuſque quid acri
Ingenio verſans vel legum ænigmata ſolvit,
Iudicii hìc nulli veterum gravitate ſecundus.
Vel tonat eloquio, dum circumfuſa corona
Magnatûm Suadæ labiis atque arte Periclis
Dicentem ſtupet & redivivi Neſtoris ore.
Vel diùm meditatur opus, veriſque repoſto
Eruit è gremio celebret quæ fama perennis.
Nunc GNATVMque docet juſti pia munia Regis,
Quàmque animo patrio legemque gregemque tueri
Conveniat, quæ jura ſacris, quid faſque nefaſque.
Nunc artes damnat magicas, magicoſque ſuſurros,
Illicita & damnans licitâ ratione retexit.
Nunc ſtricto mucrone petit, fuligine tinctos
Cerbereâ, fœdoſque halitus graveolentis Averni,
Indica quos tubulo fundit panacea recocto,
Deteſtatur, & vſque odit cane pejus & angue.
Nunc Capitolinæ faſtigia diruit arcis
Tela retorturus Torti, & vim viribus exit.
Nunc (Genio ingenioque potens BARONIUS huc ſe

Siſtat & illa ſuæ repetat primordia famæ.)
Palladis in caſtris meruit, Sophiæque in arenâ
Mirmillonem egit, toto admirante Lycæo.
Suavibus aſt aliàs abſynthia floribus Hyblæ
Temperat, ut ſtudiis gravioribus obvia Muſa
Leniat improbitas quicquid paritura laboris.
Ingenium ò rarum! vix ætas integra promit
Vatem vnum (Bavii numeris conſtringere verſum
Cui non pœne datum?) Muſis & Apolline dignum
Cui nomen: verùm redimiri tempora lauro,
Quà REX ſis hominum, quà Mœonidumque ſacerdos,
Dic age, quanti animi, cujuſve hæc gloria ſœcli?
Actiaca hìc teſtis victoria, ſola LEPANTO
Digna, Aſiæ opprobrium, CHRISTIque CRVCISque triumphus.
Quid quòd nunquam adeo dignis, adeoque probandis
Immoror hic meritis, ut non potiora ſuperſint.
Vitæ habitum ſpecta; nonne hìc Idea bonorum.
David adulterii pietatem labe priorem
Fœdavit, vitii minuitque adſpergine laudes.
Ille pudicitiæ vera & virtutis imago
Edocuit caſtos maneant quæ præmia Reges.
Nam quæcunque homini ſuperi indulgentia Patris
Annuit, Huic thalamus dedit et numeroſa propago:
Quin et Relligio, probitatis principium et fons,
Conſtitit uſque ſibi, cumulumque hunc auxit honoris.
IN PARTES HÆC SECLA RVVNT: Romanaque caſtra
Propugnant alii ferro, ratione, veneno:
Oppugnant alii. VERVM PERIT ALTERCANDO.
Omnibus ille idem. Quod Conſtantinus et illa
Dogmata dictarunt, quæ nec corrupit avara
Ambitio, nec opum nimis ambitioſa cupido,
Hoc animo ille alto noctesque dieſque revolvit.
Et cum pauperies tenebras offunderet atras
Luci, phœbæà CHRISTVS quam lampade præfert;
Ille Prophetarum gregibus, pro paupere cultu,
Cui comes eſt male-ſuada fames, et turpis egeſtas,
Conſtabilivit opes, invitamenta bonorum
Vſque bonis, pravis irritamenta malorum.
Nec vitæ finis diſpar. Sine ſanguine pauci
Interemt Reges; REGVM VIA LACTEA SANGVIS.

Actum

Actum hunc extremum tragicum Pompeius, & illa
Romanæ gentis tot ſumma papavera ſævo
Enſe reciſa probant, probat hunc ſemperque probabit
Gallia, dum noſtro Latium dominabitur orbi.
Aſt Ille (O Regem ſic terque quaterque beatum!)
Poſtquam evolviſſet jam emenſæ ſtamina vitæ,
Stamina, quæ ſenæ decadis prope margine fuſa,
Præſcius inſtantis fati, ſecum ante peregit
Commoda quæ regni, quæ *CHRISTI* Eccleſia (Quippe hic
Hic animum inprimis geſsit curamque virilem.)
Exigerent, hujuſque odium implacabile ſæcli.
Inde quaſi in placidum declinans lumina ſomnum,
Pectore ſedato venientis ſpicula lethi
Excipit, & manibus regeret dum ſpiritus artus
Sublatis, Te *CHRISTE* unum, Te ſpirat, ab uno
Te pendet, ſeſeque Tibi ac ſua ſceptra reſignat.
Hinc dum immortales præſentit pectore motus,
Miraturque novæ prænuncia gaudia vitæ,
Senſim animam exhalat, ſenſim decedit, & unà
Induit Æternos ſub imagine mortis honores,
Angelico comitante choro, cœtuque ſequente
Cœlituum; quorum qui proximus intervallo,
BELGARVM ARMIPOTENS HEROS MAVRICIVS, omni
Et vitæ & mortis ſociârat fœdere gentis
Humanæ miracla duo, ſeu bella gerenda
Horrida, ſeu pacis coeant ſub legibus hoſtes.
Interea vitam in tenebris, luctuque trahentes
Aonidas, gemitus largoſque effundere fletus
Cernere erat: Non aurati jam pollice plectri
Fila movere illis curæ eſt: A vertice laurus
Rejicit ipſe ſacras Phœbus: Ferit aurea clamor
Sydera, dum Dryades ſtatuis hinc oſcula Regis
Fixuræ nequeunt lachrymis æquare dolorem,
Inde cient fletus & caſſum lumine lugent
Nereïdes, non jam fuſis devolvere penſa
Mollia ſolicitæ, lugubri carmine montes
Non caruere ſuo, non dumi, non cypariſſi.
Dumque lyræ nervis mœſtum & lachrymabile carmen,
Innumeroſque ſuos numeros intendit Ierne,
Pardi illinc, illinc ipſi ingemuere Leones,

Lilia jam languent, marcet Roſa, Carduus aret.
Dumque cavæ valles & flumina ſedibus imis
Cæca volutarent & triſtia murmura, FORTHA
FORTHA pater ruit in medium, factoque repente
Agmine ventorum, cœlum vndique & vndique pontum
Miſcuit, impatienſque ſui ratiumque hominumque
Damnoſa inſoliti dedit argumenta doloris.
Parcæ, etiam Parcæ doluerunt, rumpere leges
Quod non fas poſitas & Fata excludere Fatis.
Parcarum & gemitu & lachrymis Chariteſque Deæque
Excipiunt gemitus. Prima hic Aſtræa, comeſque
Aſtrææ intaminata Fides, laniataque pectus
Religio. Verum ante alias Donæque Deæque
Fulta miniſterio BONA ſe CONCORDIA luctu
ATRATA involvit: ſupra omnes Illa ſorores
Deliciæ Regis, placuitque & nomen & omen.
Nec tamen indulget lachrymis ſine fine, dolori
Huic poſuit DEVS ipſe modum, cum PRINCIPE tanto
Dignus in imperii ſit ſucceſſurus habenas
FILIVS, Illo vno ſeſe ſolatur, ab illo
Spes reparat, vireſque novas ſibi firmat, & in ſe
Præcipiens animumque PATRIS, mentemque benignam
A GNATO jam REGE ſuo, felicibus vſque
Auſpiciis, ſic Illa iterumque iterumque precatur.
SIT SUMMO CONCESSA GRADU MENSURA PATERNI
VOTI, CARLE, TIBI PROPRIA ET FORTUNA PARENTIS.

Beati Pacifici.

A G.

Sereniſsimi Regis Iacobi VI.

EPITAPHIVM.

MATERIEM ſuperaſti omnem REX OPTIME, nilque
Aut virtus aut laus quò Tua pergat habet.
Nec ſextus ſed primus is es, quem credere fas ſit
Semideumque virum, ſemivirumque Deum.

ALIVD.

NOMINA ſi Regum meliorum ſculpta vel unum
Annulum, & exiguum hunc, claudere poſſe fides,
Proditum ut eſt olim verè, Te ſcilicet hujus
Aut gemma aut centrum, REX IACOBE, capit.
Namque Syracuſii veluti ſenis arte reperta eſt
Sphæra, & in hac magni machina vaſta poli,
Sic vitæ mortiſque tuæ (compendia laudis
Quæ velut omnis) ineſt quicquid in orbe nitet:
Et quicquid Regum virtus ab origine mundi
Vſquam vel voluit pingere vel potuit.

D. WEDDERBVRNVS.

GRIPHVS.

1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12.

POst primum inde aliud, ternum inde atque inde quaternum,
Post quartum, quintum sexto diadema perennat.
Hebdomadi octavæ dedit istud nona subintrans.
Sed nondum visâ decimâ undecimâque, parente
Et nato junctis quamvis duodena reperta.

✲ ✲ ✲

A. G.

C 25187
79596 SL

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION